

RMK 152

R 681, 25.

25.

DE DISCIPLINA  
**ECCLESIASTICA**  
SEV GUBERNATIONIS EC-  
CLESIASTICÆ LEGITIMA  
FORMA, IN VNGARICA NATIONE  
cis & vltra Tibiscum, ex verbo Dei petita, & conformi-  
cum veterum recentiorumq; in Ecclesia doctorum con-  
stitutionibus, ad vitam & mores ministrorum regendos,  
atq; ad decentem ordinatamq; in Ecclesia functionem,  
ac ad tuendam pietatem & honestatem composita,  
consilio & opera Georgij Gönci Pastoris Eccle-  
sia Debreciensis &c. Anno Christi

M. D. LXXVII.

1. Corinth. 14.


Omnia honeste, decenter & ordine ad edificationem  
fiant inter vos.



VVITEBERGÆ

Typis Clementis Schleich & Anto-  
nij Schön,

KÖNYVTÁRA



PIIS ET CANDIDIS  
LECTORIBVS SALVTEM  
ET OFFICII COMMEN-  
DATI O N E M.

**V**àm necessaria sit disciplina in omnibus hominum ordinibus & Vitæ ac functionis generibus, usus rerum quotidianus optimus testis est. Cum enim ipsa sit ve- lut certa quedam regula & norma, ad quam omnia dicta & facta, mores item & vniuersa vi- ta exigi debeant: Nihil sane absq; ea in quolibet vite ac vocationis genere, laudabiliter ac salutariter confici potest. Nam hæc etiam causa est, cur Divus Paulus ministros Ecclesiæ grauiter ad decentem & ordinatam in Ecclesia functionem hortetur. Itaq; ut de vñitatis politicæ disciplinæ partibus taceam, operæ preicum esse indicaui, si de rationibus Ecclesiasticæ gubernationis pauca quedam dixero, & causas nostri instituti in con- ficiendo hoc libello, & articulorum nostrarum Ecclesia- rum publicatione ostendero. Vocamus itaq; discipli- nam Ecclesiasticam, tales legitimæ gubernationis seu constitutionis formam, quæ authoritate Seniorum ex verbo Dei petita & sancita est, ad vitam & mores mi-

A ij nistro

nistrorum regendos, ut omnia recte ordine in Ecclesia  
constituantur ad tuendam pietatem & honestatem. Huic  
ius duas constituimus partes: Primam dicimus esse gu-  
bernationem seu institutionem certis præceptis ac regu-  
lis comprehensam, quarum aliae, mentes ministrorum in-  
formant, affectus, mores & voluntates regunt, aliæ ve-  
ro linguam, gestus & facta gubernant: Secundam ve-  
rò partem ponimus esse correctionem seu castigationem,  
qua Seniores Ecclesiarum, quibus hoc ius & officium  
ab Ecclesiis demandatum & commissum est, eos coëre-  
cent, ac pro meritis puniunt, qui violata disciplina Eccle-  
siastica, pietatem & honestatem lœdunt, & suis peruer-  
sis moribus & factis inquis toti Ecclesie nocent.  
Vtrunque nostræ Ecclesiæ quantum quidem fieri potuit  
in hisce articulis, breui compendio complexæ sunt. Ca-  
nones enim sequentes ex scripturæ sacræ fontibus de-  
promiti, clare proponunt; quid ex officio suo ministros  
Ecclesiarum facere & omittere oporteat, & quam pœ-  
nam daturi sint si aberrauerint. Ne quis igitur nos  
omni disciplina Ecclesiastica solutos, atq; proprijs affe-  
ctibus impulsos viuere, causari posset, & nostras Ec-  
clesias Cyclopum more absq; ullis certis præceptis & ca-  
nonibus gubernari, falso contendat: Articulos hos pu-  
blicare ideo voluimus, ut omnibus pjs testatum facere-  
mus, nos ex verbo Dei, omnem officij nostri rationem,  
gubernationis legitimæ formam, mores ac pietatem hau-  
sisse,

sisse, & cum Orthodoxa Ecclesia in omnibus administrationis nostrae partibus palam consentire. Habet nostrae Ecclesie certas dioceses suis Senioribus cum legitima gubernatione iuxta articulos subiectas. Sunt in illis certi deniq; gradus & ordines ministrorum distincti, qui omnes data fide & dextra, cœlestis doctrinæ veritatem ac puritatem suis in locis fideliter proponunt, & pacem Ecclesie publicam pari animo ac studio tueruntur. Cæterum nostræ Ecclesiæ non recipiunt nec admittunt peregrinos & Nouitios absq; literis, quas Vetus sti Canones ovsalvæ appellant, quibus testimonium fertur de moribus, de studijs, de vitæ anteactæ rationibus & profectu vnius cuiusq;: Neq; nouos ministros assument vel promouent absq; publico Seniorum & reliquorum Pastorum suffragio ac testimonio. Sed primùm omnium requirunt ab eis bonum testimonium de vitæ innocentia & moribus, iuxta Pauli canonem 1. Tim. 3. & 4. Deinde neminem recipiunt, nisi legitimam antebabuerit vocationem. Huc accedit quod tales sistuntur in medio Ecclesie, ac à Senioribus serio & diligenter de fundamento cœlestis doctrinæ & præcipuis fidei articulis examinantur. Præterea si digni ministerio Ecclesie censemur, accipiunt obsignatum publico Ecclesiarum nostrarum sigillo testimonium. Hunc igitur sapienter constitutum ritum nostræ Ecclesie, vna cum sancta antiquitate & veteri Ecclesia, retinent, idq; his

A iii necessas

necessarijs de causis: Primum ut veri ac legitimi mis-  
nistri ab erronibus seu Stellionibus discernantur, qui  
hinc inde sine certa ac fixa sede vagantur, ac Ecclesias  
inuadunt, ut eas turbent, & monstrosas opiniones ac  
falsa dogmata ad eas inficiendas spargant. Deinde ut  
Ecclesiae, ac singuli pij certo cognoscere possint, num sa-  
na sit suorum pastorum doctrina, quibus tutò animas su-  
as committere ausint. Haec sunt igitur rationes quae nos  
ad huius libelli confectionem & articulorum publicatio-  
nem non inuitos pertraxerunt, ut nempe in eum velut in  
quandam tabulam communem referrentur ea, quae do-  
ctrinæ causa ad posteritatem essent transmittenda:  
Quod nostrum consilium sanis & pijs omnibus probari  
non diffidimus, illis præsertim qui posteritati cum fru-  
ctu inseruire cupiunt. Oramus igitur Filium Dei, ut  
hos nostros conatus & labores in Ecclesia sua iuuet &  
promoueat, & discentium ac docentium mentes suo san-  
cto Spiritu illustret, voluntates ad sui obedientiam fle-  
ctat, & Ecclesiam suam inter nos & in nostra posteri-  
tate conseruet benignè. Amen.

Georgius F. Gönci, Pastor Eccle-  
sia Debrecinæ, Supremus fra-  
trum Senior.

I N LIB R V M

YΠΟΜΝΗΜΑΤΩΝ  
VEL P VBLICORVM ECCLE-  
SIAE ANNALIVM IN CERTAM SERIEM DI-  
gestorum à Clarissimo Viro, eruditione solida, pietate  
vera, summisq; virtutum ornamentis præstantissimo D.  
Georgio F. Gōncino, Pastore Ecclesiæ Debrecinæ di-  
gnissimo, qui ad VI. Febr: Anno 1577. in generali  
Synodo Varadina Superintendens & Episcopus Eccles-  
iarum cis Tibiscum sitarum, declaratus &  
confirmatus est.

E P I G R A M M A

Scriptum à

Ioh: Lascouio Ludimastro  
Debrecensi.

*I*vetus Iliades prisci sub temporis aeuo,  
Ausonio paſſim clarus in orbe fuit,  
Numine quid Martis facili dextrâq;  
triumphantis,  
Fælici patriam lege beasset humum:  
Iure tuas laudes Praſul Gōncine, piumq;  
A memori nomen posteritate feres.  
Nam postquam cupidis peiȝt te Ecclesia votis,  
Imperijq; sacri sunt data iura tibi;  
Omne animi robur studio coniungis eodem,  
Vi vera statuas relligionis opus,

Et le-

Et legum decretā noues, repetitāqā firmes,  
Aurea ne solito cesseret honore quies.  
Per te cana fides prisco reparata vigore,  
Et legum per te fædera iusta vigent.  
Per te posteritas, annalibus indita certis,  
Longinqua serie iura secunda leget.  
Ante ferebamur deserta per auiā paßim,  
Rapta velut toto rure vagatur ouis;  
Aut velut irato cum feruent littora ponto,  
Cymba per Aegeas naufraga fertur aquas:  
Haud aliter spoliata suis ductoribus, ante  
Errabat stygij turba relicta lupis,  
Poscebat qāpīs celestia numina votis,  
Incerta atqū sua penè salutis erat.  
Nullus erat votus aures adhibere benignas,  
Tot mala qui posset tollere, nullus erat.  
Donec Pannoniam Deus aethere vidit ab alto  
Attulit & latam, nos miseratus, opem.  
Teqū ducem lapsō voluit succurrere regno,  
Legibus & cætus constabilire pios.  
Qua tu compositis fæliciter omnia rebus  
Perficiis, & patriæ commoda magna creas.  
Ergo tuum toto studium memorabitur orbe,  
Nomen & eterna laude perenne feres.  
Teqū securoris ventura nepotibus etas,  
In signem meritis tollet in astra tuis.  
Et venerata tui decus immortale laboris,  
Talia miranti pectore verba dabit.  
Hic patrias auxit meritis bonus omnibus oras,  
Nos male ab antiquis degeneramus anis.

ARTI-

ARTICVLIE C  
CLESIARVM CIS TIBISCVM  
VERBO DEI COLLECTARVM, EX  
prioribus selecti, & in generali Synodo Varadina pu-  
blicati, Anno Domini M. D. LXXVII.

VI. Februarij.

I.

 VM IN DOMO DEI  
omnia ordine & decenter fie-  
ri oporteat; sancta Synodus  
iuxta Propheticam & Apo-  
stolicam doctrinam statuit  
*ιταξιαν*, (hoc est, ordinem verbo Dei ap-  
probatum in doctrina & moribus) neces-  
fariam esse,

II.

Deum verum à Prophetis & Apo-  
stolis agnatum dicimus eum esse, in cuius  
nomine baptizati sumus, nempe Patrem,

B

Filium

Filiū & Sp̄iritū sanctū, vnum quidem natura deitatis æternæ, maiestate, gloria, operationibus & cultu: sed tribus hypostasibus earumque proprietatibus verè distinctum. Qui igitur Deum ab hoc alium in Ecclesia annunciat, ab officio, post vnam & alteram admonitionem remouendum, & excommunicandum sancta Ecclesia statuit.

### III,

Paulus Apostolus præcipit Episcopum non solùm διδακτορῶν esse debere, hoc est, cœlestis doctrinæ puritatē annūciare, sed etiā falsa ac impia dogmata verbo Dei confutare & retundere: Quapropter præter conciones sacras, Catechismus iuuentuti in cœtu publico vſitatis horis & temporibus proponatur. Atque valde utile esset vnam formam certis præceptis integrè comprehensam retinere & propone-re, sicut Paulus Timotheo præcipit, ij. Ti-moth.j.

Impia

## III.

Impia verò doctrina conuincatur, refutetur & damnetur ex sacræ scripturæ fundamentis, ita tamen, ut legitimus processus & ordo in ædificationem Ecclesiæ conseruetur. Hæreticos iubet idem Apostolus, post vnam & alteram admonitionem fugiendos esse. Quapropter cum hæreticis conuictis nemo temerè sine consensu Seniorum disputet: nemo in suam Ecclesiam disputandi causa eos attrahat: nemo cum illis conuersetur, cum scandalo piorum. Qui secus facere præsumserit, post vnam & alteram admonitionem, à suo Seniore officio priuetur usque ad synodum generalem.

## V.

Nemo in articulis fidei, & in alijs religionis Christianæ fundamentis, in ritibus ac sacramentis, priuatim ac propria authoritate cum multorum scandalo & offendiculo, mutationem aut innouatio-

B ij nem

nem facere præsumat. Sed si quid inno-  
uandum aut mutandum seu corrigen-  
dum fuerit in consueta doctrina ac cere-  
monijs, legitimè ex consensu totius Eccle-  
siæ in publica Synodo fiat: Nam si quis  
aut in veræ doctrinæ capitibus, aut in sa-  
cramentis mutationem temerè instituerit,  
ad tempus generalis synodi à suo Seniore  
accedente consensu ministrorum Diœce-  
seos officio priuabitur.

## V I.

Vniuersa nostræ salutis ratio, vera  
item Dei, eiusque voluntatis cognitio in  
scripturis Prophetarum & Apostolo-  
rum expressa atque consignata est. Qua-  
propter nemo in Ecclesia præter hoc Dei  
verbum quod in Biblijs continetur, doce-  
re præsumat. Quin etiam vt multorum  
socordia comprimatur, placet sanctæ syn-  
odo, vt qui Biblijs carent à ministerio ar-  
ceantur.

In

## V I I.

In vestium vsu, quemadmodum & in cæteris rebus externis, libertatem concedimus, ita tamen, ut ministri Ecclesiarum honestatem & decorum officio conueniens in habitu retineant. Nemo igitur vestitu militari, aut alio non satis competenti vtatur, sed in vestibus etiam pietas, modestia & mediocritas obseruetur, omnisque luxus vitetur.

## V I I I.

Disertè ab Apostolo præcipitur, ut probentur priùs qui ministraturi sunt, & sic in opus emittantur. Itaque citra personarum respectum omnes à docendi munere & administratione sacramentorum prohibemus, donec coram Ecclesia doctrinæ & morum examen instituatur: Hoc tamen addimus, Seniores posse, intercedente sacramento iurisiurandi, nonnullis perspectæ pietatis & integritatis hominibus, facultatem docendi usque ad synodi tempus concedere,

B ij Obste-

I X.

Obstetrics baptizantes excommunicantur, & à publico Magistratu seuerè puniantur. Nam vt soli ministri Ecclesiarum ad hoc officium sunt delecti, Matthæi xxviij. Hebr. v. ita mulierculæ expresso Pauli præcepto j. Corinth. xiiij. & j. Tim. ij. docere atque sacramenta peragere prohibentur.

X.

Quemadmodum sine legitima vocatione nemo in Ecclesiam irrumpere docendi caussa potest: ita expleto anni termino, si Ecclesiæ cui docendo seruit propter iustas & sufficientes caussas displicuerit, ne quis aut per violentiam aut per alias artes illicitas sese intrudat, aut eo loco persistat, serio prohibitur.

X I.

Superintendens ex consensu Seniorum omnia faciat, & nihil ex affectu priuato ten-

to tentet. Synodus verò publica quotan-  
nis semel, aut etiam bis, vrgente necessitate  
instituatur.

### X I I.

Congressus obscœni dissolutorum  
iuvenum cum virginibus tempore ve-  
spertino vſitati, sub prætextu quocunque,  
prohibeantur. Muliercularum item no-  
cturnæ commensationes & petulantiae in  
congressibus pueralibus, taxentur.

### X I I I.

Nuptiarum celebrationes & copula-  
tiones coniugum, diebus sabbathi & do-  
minicis prohibemus: scriptum enim est,  
Sabbatha sanctifices. Vitandæ autem  
~~ætagiæ~~ seu confusionis cauſſa, sancta Eccle-  
ſia decernit, vt priusquam coniuges copu-  
lentur iuramento, coram Ecclesia in pu-  
blica concione eorum nomina promul-  
gentur.

### X I I I I.

Liberæ & honestæ tantum personæ  
coniū-

coniugio copulentur. Aetate autem ni-  
miūm dispare, & desertores vel desertrices  
coniugum, non copulentur, nisi Synodi  
generalis iudicio sese prius submiserint.

## X V.

Pastoribus Ecclesiarum ad honesta  
conuiuia nuptialia accedere vocatis fas  
est, sed cum plebeis ad publicam, vel vt  
ipſi vocant, regiam domum oenopolij,  
non abeant, non colludant, nec compo-  
tent cum ipſis: sed sobriè & modeſtè ſuo  
exemplo ad pietatem & timorem Dei cō-  
uiuantes inuitent, & ab uſitatis petulan-  
tijs atque saltationibus laſciujs eos de-  
hortentur. Vbi verò vino incaleſcere cæ-  
teri cæperint, & cantores ac citharoëdi ac-  
cesserint, qui saltationibus indecoris inſer-  
uiant; ipſi Paſtores ſurgant & abeant, ne  
ſua præſentia videantur eam laſciuiam  
probare. Tob. viij. & ix. Cum timore  
DOMINI nuptiarum conuiuia exerce-  
bant.

Ministri

## XVI.

Ministri Ecclesiarum qui temere sine iusta caussa à synodis ex rebellione absuerint, nec Prælatis obtemperare voluerint seniores quidem sex florenorum multa, reliqui verò trium, puniantur. Quandoquidem æquum non sit, ut propter ministrorum contumaciam, verbo Dei auditores insontes priuentur.

## XVII.

Pastores in Ecclesijs par onus suscipiant, & impar fugiant. Quod si ab una ciuitate aut pago sustentari possunt, ne se pluribus stipendijs aut turpis quaestus causa obligent. Verùm propter ministrorum inopiam concedimus, si unus tribus pagis præsit, ut urgente necessitate & alijs ministret, non cauponando Dei sermonem sed Domino fructificando & ædificando Ecclesiam.

## XVIII.

Nullus pastorum prouincias vicino-  
rum

rum aut aliorum temere inuadat, sed intra  
limites suæ vocationis quisque se contine-  
at, neque doceat quisquam alibi, aut con-  
iuges solenni iuramento copulet, nisi ex  
permissione Pastoris legitimè conducti,  
aut cum necessitas ineuitabilis requirit.  
Hoc etiam addimus, ne quis vel Magistra-  
tuum potestate fretus, vel illicitis artibus  
vñsus, Pastores, præsertim ante tempus an-  
ni, suo loco extrudat. Qui secus fecerit,  
Ecclesia talem à ministerio arcebít.

## X I X.

Nemo ante legitimū terminū fun-  
ctionis suæ Ecclesiam deserat, sed comple-  
to curriculo anni sui, cum venia & indul-  
gentia, permissioneque Senioris, cui sub-  
est, locum mutet: qui contrarium tenta-  
uerit, officio priuetur.

## X X.

Singuli Ecclesiarum Seniores & Pres-  
byteri sub certo catalogo suæ fidei com-  
missos

missos habeant, & illis præsint, ne fiat confusio inter Seniores, sed eos quisque gubernet, qui sub Diœcesi sua degunt. Neque Senior unus sibi conuocandi munus, sine Superintendentis & Seniorum scitu usurpet, neque alios conuocandi potestatem habeat, nisi qui sunt sub Senioratu suo.

### X X I.

Priusquam Pastoribus prioribus legitime satisfactum fuerit, & salua venia suam Ecclesiam non deseruerint, noui interim ne superueniant, nec eis succedere ausint. Qui aliter fecerint, ab officio suspendantur,

### X X I I.

Pastores sunt stellæ, lux mundi & salterræ. Quamobrem vitæ sanctæ & inculpatæ integritate, atque doctrinæ puritate præire suis Ecclesijs debent. Nominatum autem cum maximè foedum sit vitium in Ministris ebrietas, quicunque ebrio-

C ij si cum

si cum multorum scandalō deprehendēntur, intra anni terminū officio priueniuntur. Idem etiam de Rectoribus scholarum dictum esse volimus.

### X X I I.

Decenter & ordine omnia fieri in Ecclesia oportere, non vno loco Apostolus præcipit. Quare Ecclesia sancta legitimè constituit, ut Sacramentorum Cœnæ & Baptismi administrationes, coniugumque copulationes in publico loco, antemeridiano tempore, honestè & legitimè fiant. Qui secus fecerint, à Seniore suo ad tempus Synodi ab officio remouebuntur.

### X X I I I.

Pastoribus Ecclesiarum, qui præsunt in Ecclesijs, honesta ac pia subiectione Rectores scholarum subiçiantur, eisque debitum honorem deferant. Pastores suos calunij & iniquis criminationibus apud vulgus

vulgus ne grauent, nec illi temere sine ho-  
rum venia & permissione extra limites su-  
os circum cursitent, sed ut vita inculpata,  
ita etiam diligentia in docendo, præsent  
auditoribus sibi commissis, atque cum  
suis Pastoribus Synodis interesse, ne præ-  
termittant.

## X X V.

Rectores scholarum à ministerio do-  
cendi alienos, qui tantummodo lucrum &  
quæstum turpem venantur, non admitti-  
mus. Similiter arcemus ebriosos, petu-  
lantes, inordinate viuentes, & scurras va-  
gabundos.

## X X V I.

Pastores vicissim Ecclesiarum, Re-  
ctoribus scholarum in mutuo charitatis  
Christianæ vinculo, veræ pietatis & or-  
thodoxæ fidei consensu, atque adeò totius  
honestatis vitæ, & integratatis morum con-  
formitate, sint coniuncti & pares debi-

C iij tumque

tumque eis, tanquam in domo Dei Collegis, fauorem, patrocinium, & secundum Ecclesiæ statuta alimentum iustum, nemo subtrahat. Omnes verò criminatores cuiuscunque generis, seu obtrectatores honestarum personarum, & vitæ ac famæ honestæ alterius traductores, grauiter corrigendi & puniendi sunt. Pasquilli & inuectiuæ literæ, sub pœna depositionis vitentur.

*Si quid in his contractioribus canonibus desideratur, lectores pro eo ad generaliores articulos remittimus.*

